



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Indebitè procurans beneficium Ecclesiasticum si indebitè intrudantur nisi
damnationem acquirit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

deliberato homo non timet, contra rectam rationem nocendo sibiipfi vel proximo notabiliter, siue censetur animus hic impavidus ex minore quam debeat amore propriae vitae &c. siue ex electione animi ut frequenter accidit hominibus putantibus vilis animi esse timere & separare se à contentionibus, rixis, armis &c. Veniale autem peccatum hoc est, quando ex stulticia excusabili procedit: scilicet quia quasi stolidus non perpendit pericula, & ideo non ponderans non timet. Tantaque posset esse stoliditas, quod nullum esset peccatum. Est etiam & veniale propter imperfectionem actus, ut si deest liberatio (ut in primis motibus) & propter imperfectionem materiae: ut in parvis periculis seu parvis rebus. Adverte hic tam pro hoc non timendi peccato, quam pro similibus peccatis in defectu passionum consistentibus quod quia passiones amoris, timoris, tristitiae, irae, audaciae &c. indicatae sunt nobis ad prosequendum nostra bona, vel ad fugiendum mala, non sit tibi cura si quis quasi Stoicus ex naturali complexionem aut vndeunque animum habeat, aut videatur habere sine passione timoris vel tristitiae, &c. si tamen habet illam quantum ad effectum necessarium: puta quod prosequitur bona prosequenda, fugit fugienda, cauet cauenda, quando, ubi, cur, sicut &c. oportet. in huiusmodi enim voluntatis omissionibus consistit peccatum, siue habeat passionem siue non.

Indebite procurans beneficium Ecclesiasticum si indebitè intrudatur nisi damnationem acquirit.

Intrusio crimen est canonicum: quo scilicet aliquis honorem Ecclesiasticum seu beneficium absque canonica prouisione acquirit de facto, & intrusus est, & dicitur quandiu sic tenet: & est in statu aeter-

næ damnationis.

*Peccatum inuidiæ indubitanter tam à
Deo quàm ab hominibus
damnatur.*

Inuidia (qua homo tristatur de prosperitate alterius similis seu æqualis vel sub aliis verbis, qua homo tristatur de bono alterius quasi diminuat propriam excellentiam) peccatum est: quia tristatur quis de bono alieno, de quo debet potius gaudere. Et est ex suo genere peccatum mortale: quia contra charitatem, qua bonum proximorum diligere tenemur. Et propriè inuidia est quum aliquis dolet quod alius prosperetur, non propter aliud, sed propter hoc solum quod ille parum à se distans, bonum seu melius habet: apprehendit enim inuidus quasi illius bonum sit suæ diminutio excellentiæ. Qui autem tristatur de bono alterius propter aliquam conditionem adiunctam (puta propter damnum inde sequens, aut quia caret ipse, aut quia indignus habet) non est inuidus. Et sunt tres: scilicet timidus, æmulus, & nemesius, de quibus in suis vide locis. Et sicut contingit in aliis vitiis, ita hic intellige inuidiam ex voluntatis cōsensu esse peccatum mortale: sine deliberatione autem esse veniale: vt in motibus passionum imperfectis, & similiter in rebus minimis. Nec inuenitur inuidiam humanam habere plures species. Dico autem humanam propter inuidiam fraternæ gratiæ, qua quis tristatur de diuinæ gratiæ diffusionem seu participationem: quomodo hæc inter peccata contra Deum est & ponitur peccatum in Spiritum sanctum, & est grauissimum.

*Ira quando sit permissa,
& quando prohibita.*